

Damiani. et omnium sanctorum. quorum sollem
nitas hodie in conspectu tue maiestatis. re
veratur. **D**ne deus noster tota in diem terrarum
et omnium sanctorum tuorum quorum meritis precibus
et orationibus. ut in omnibus protectionibus tue reman
eamur auxilio **I**n eundem christum dominum nostrum.
Ant igitur oblationem servitutis nostrae
et civitate familie tue. **Q**uesumus **d**ne. ut pla
ceas accipias. dies quoque nostrorum in tua pace di
cas. atque ab eterna damnatione nos tri
plex tuorum iubeas grege numerari **P**
dominum nostrum **Q**uia oblationem tuam iuris
omnibus que. benedicta **X** assumpta **X**
rationabile. acceptabile que face
meris. ut nobis. corpus **X** et sanguis **X**
delectissimi filii tui domini nostri ihesu christi

MS 612

Sammelband

Ausg. 1. Teil

35

PROGRAMMA
IN LVCTV PVBLICO OB PRÆMA-
TVRVM OBITVM

Serenissimi Principis ac Domini,

DN.

FRIDERICI
ULRICI

Ducis Brunsvvicensium & Lunæburgen-
sium &c. Domini nostri clementissimi,

Atq; Academie hujus Iulie

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

P. P.

AD STUDIOSAM IUVENTVTEM.

XVII. Augusti.



HELMAESTADI,
Typis IACOBI LUCHII,

— — — — —
Anno cl^o l^o cXXXIV.

IN LUCTU PARLICO OR
TUM
Johann Baptist

FRIDERIC
UDERIC

Duc
Factor

Typo
Hess





PRORECTOR ACADEMIAE
IULIAE

IOHANNES STVCKIUS

I. V. D. Codicis Professor, Facultatis
Iuridicæ Ordinarius & Senior, nec non Aca-
demix pro tempore Vice-Rector, &c.

CIVIBVS ACADEMICIS S. D.



Ter meritò semper nobis sit,
CIVES ACADEMICI, vndecimus Sex-
tibus dies: patriæ enim nostræ parentem,
Academiae summum Rectorem, crudi-
tionis patronum, *Serenissim. Principem ac*
Dom. Dn. FRIDERICUM ULRICUM

Ducem Brunsvicensem ac Lunaburgensem, Dominum nostrum
Clementissimum &c., Principem vt familiae suæ ultimum,
ita probitate & in suos amore maximum infelix illa lux
eripuit. Utinam verò licuisset nobis tempus illud fa-
stis eximere, aut commodo remedio lenire imminen-
tem eius atrocitatem. Omnes certè blandissimo frue-
remur patre nostro, & pro lachrymis quas nunc expri-
mit dolor, iocis ac lætitiæ locus superfuisset. Sanè o-
mnia sese secunda nobis ostendebant, & seposito o-
mni sinistro metu adversa quæque inimicis remisisse
videbamus. In eo siquidè eramus ut post innumera for-
titer tolerata mala, postq; obsidiū vicinæ vrbis lentum
atq; ambiguum, victoria tandem potiti superatis ma-
lis



mur. Cæterùm invisa nobis hæc bona sunt, & vince-
re quidem potuimus at non uti victoriâ, lachrymis
coacti parentare cui epinicia meditabamur & exquisi-
tas congratulationes. Nec tamen deerunt proculdu-
bio qui non tam nos quam defunctum, quem lugemus
infelicitatis damnauerint. Cæterùm nos quidem mi-
seros nos esse scimus, utpote quorum miseria nullibi
nescit figere pedem, sed fertur incertum termini expers
& quietis, quantumvis hætenùs tantum non oppresse-
rit nos atque contriverit: Principem verò nostrum et-
iam multis nominibus felicem cogimur prædicare.
Etenim si genus spectemus, numerat ille utroque in pa-
rente Cæsares, Reges, Principes, non ab hesterno aut
pridiano die, sed à multis retrò seculis, atq; ultra anna-
lium memoriâ. Sexcenti atq; amplius anni sunt ex quo
AZO Estensis Marchio ex CUNIZA Noricorum Du-
cis GVVELPHI sorore genus suum non in Germaniæ
minùs quàm Italiæ regno longè latèq; propagavit. Non
ita diu est quum in ALPHONSO Ferrariæ Duce stirps
illa nobilissima Italica exspiravit: at Germanica cum-
primis semper floruit nò tantum initio, quum rerum in
Bavariâ omni & Saxoniâ potiretur, sed & postquam in
HENRICO LEONE omnibus fere bonis exuta nihil
præter has Saxonix arces à Thuringiæ finibus ad Al-
bim usq; protensas, quas mox Brunsvvicensis & Lunæ-
burgensis Ducatus titulo placuit insignire prudentissi-
mo Cæsari FRIDERICO II, retinuit. Ex eo coluit Im-
perium nostrum ceu Cæsarem suum proscripti LEONIS
primò filium OTHONEM, inde & abnepotem
FRIDERICHUM: venerata est Neapolis OTHONEM
Regem: Principatus Episcopales plurimi perquam
multos

multos hujus generis infulatos habuerunt dominos; hæ ipsæ terræ Principes fortissimos, prudentissimos longâ jam serie laudaverunt. Duodecimus fuit FRI-
DERICUS ULRICUS noster ab OTHONE qui terras hæc
hasce Brunsvigij ac Lunæburgici Ducis nomine pri-
mus in ditionem accepit: septimus ab HENRICO
quem inter & BERNARDUM fratrem regiones hæc a-
vitæ diuisæ sunt. Iam HENRICI filius VVILHEL-
MUS ob res præclarè gestas Victoriosi nomen com-
meruit, reliquorum nemo non fortissimus omni in
Germania laudatus est: avus IULIUS vel eo tantum
nomine quod hanc nostram scholam condiderit o-
mnibus seculis celebrabitur: de patre verò HENRICO
IULIO satiùs arbitror tacere quàm pauca dicere. Itaq;
in paterno genere non nisi Heroës legimus: sed nec ma-
ternam familiam minùs illustrem habuit optimus
Princeps noster: regio siquidem sanguine Danico na-
ta est ELISABETHA mater, avia HEDVVIGIS *Jagel-
lonum* antiquissima est prosapia oriunda: ut nobilitati
quidem nulla quid parte desit, sed permultum superes-
se quis arbitretur. Atq; magna felicitatis humanæ por-
tio est ita ortum esse, ut animum excelsum ac divinum
non casu fortuito sed certâ hæreditate ac naturæ qua-
dam lege videare consequutus. Princeps verò noster
non avitæ tantum virtutis & gloriæ, verum etiam po-
tentia atq; opum hæres natura scriptus est. Non est no-
strum in transcurso potentia facere hic mentionem, ne
quidem virtutes eius omnes nunc licet numerare: So-
lonis enim lex in animo nobis, vetans rem divinam
propter viam fieri. Illud omnis novit Germania, quo
tempore stabat adhuc Imperij auctoritas, nec quorun-
dam libidine, aliorum negligentia sanctæ leges conci-
derant,

derant, vix cuiquam Principem nostrum viribus atq;
splendore secundum existisse. Inciderunt, fateor,
post calamitates ingentes, & multis retrò seculis inau-
ditæ, quibus ut reliqua Germania omnis ita & hæc pa-
tria nostra etiamnum funditus evertitur, ast tantum ab-
est infelicem eo nomine Principem merito esse appel-
landum, ut si rectè rem velimus arbitrari, hoc ipso sum-
mam sit felicitatis consequutus. Enituit quippe inter
hæc adversa maximè innocentia atq; pietas optimi Du-
cis, & quod omni potius victoria est, sui laudationem
hostibus, quiq; omnia mallet quàm innocentiam il-
lam, expressit invitis. Tulit imperterrito animo sce-
lera per vim ac nefas ad potentiam grassantium, & ferè
omnibus exutus, dives tamen atq; potens satis probi-
tate sua, retudit insultus ferocientium hostium. Nemo
non sanctioris admissionis admiratus est hæcenus con-
stantem & semper sibi similem per hæc annorum ali-
quot adversa Principis animū; nemo ejus in Deum pie-
tatem, in patriam amorem, in literas reverentiam, in
omnes benignitatem, semper parem sibi atq; æqualem,
non coactus est laudare. Neq; enim ipsas inter maxi-
mas calamitates tam suo quàm patriæ nomine visus est
affici: & licet accisis admodum rebus in hanc tamen
Academiam suam summè se præbuit munificum, ut a-
liàs multis argumentis luculentè docebimus. Habe-
bat ille scholam hanc preciosi cujusdam thesauri loco;
eoque illam titulo cum aliàs tum etiam (cheu!) mori-
bundus affecit, ratus hujus salute reliqua patriæ ma-
gnam partem stare. Religioso etiam numinis cultu
multos infimorum provocavit, omnibus certè exem-
plo fuit. Quæ laudes tanto clariores haberi debent,
quo rarior harum virtutum cum potentia societas est.
Igitur

Igitur aut non in numerum infortunij putandæ sunt
proximi temporis adversitates, ut quæ solæ magnitu-
dinem Principis potuerint ostendere, & abs quibus si
fuisset ignota delituisset ingens virtus: aut verò delectum
illud omne est splendore exerentis se & ex ipsis malis vim
cipientis pietatis. Nec tamen ita opprimi illum Deus
sivit, ut nihil veteris fortunæ postliminio redierit. Ni-
hil enim non ferè eorum quæ per vim & scelera amise-
rat, crudeli morte interemptis omnibus inimicorum
potissimis, triennio hoc ultimo recuperavit. Nuper
etiam occupata longo obsidio Hildesia haud parum a-
vitis bonis adjecisse poterat videri. Illud, fatemur,
infelicius non nihil humanitus judicari potest, quod
ipso hoc in victoriæ cursu cõciderit Optimus Princeps,
nec reparatis illi bonis frui concessum sit. Vereor ta-
men ne omnis hæc infelicitas non tam ad Principem
quàm ad subditos nos & ministros pertineat. Non
fruitur quidem illis gladio ac cruore redemptis opibus:
non excepit illum triumphali curru asserta Hildesia:
non dum intrarat Capitolium suum Guelphicum; frui-
tur tamen nunc opibus æternis ac diuinis, quas non fœ-
dat cruor aut scindit gladius; triumphantem excepit
cœlum, ponè dolentibus omnibus inimicorum copijs:
intravit magni Dei sacrarium non arte aut agili manu
factum, sed divinæ opus sapientiæ, quo non ascendit
hostis aut quidquam penetrat adversi. Nos verò qui
patrem, qui Rectorem amisimus, turbido maximè
tempore, optimique Principis imperio summè in-
digo, miseros nos esse plus satis intelligimus. Sentit
profecto serio damnum suum Academia nostra, quoti-
es tantùm nominis sui memor cogitat extinctam nunc
esse domum illam IULIAM cui omnia sua debuit ha-
ætenus


Genus. Sentit sese orbatam nunc Illustri suo Rectore, quoque benigniorem alium ne optaverit quidem. Vos quoq; , **CIVES ACADEMICI**, dubio procul perspiciatis quantum vos malum incideritis. Extincta est nunc **IULIA** illa domus, quæ literis vos ac pietate hætenus fecit imbui, tantoq; fuit in vos amore ut, quo vobis foret meliùs, ipsa Rectorem se vestrum scribere non dedignata est. Occidit qui & olim vestro non dubitavit se ordini addicere, & post patrem se vobis præbuit indulgentissimum. Occidit ille patrij hujus soli vestri pater, cujusq; sub tutelâ bonam partem & nati estis & educati. Magna sint & cruda adhuc peccata nostra oportet, quæ post tam ingentes pœnas, quas aliquot jam patimur annos, hoc triste auctarium meruerunt. Sane agnoscimus, pro se quisque, culpam nostram, & ex pœnæ gravitate delictorum facile magnitudinem intelligimus. Utinam verò jam ante in tempore seriâ pœnitentiâ placato numine hoc nos malum averuncassemus? Nunc justas luimus negligentiae pœnas, & serò recordamur quæ serio à nobis fieri ante oportuisset. Agite tamen, O **BONI**, vel saltem nunc nobiscum emendatiore vitâ & ardentibus precibus sistite currentem offensi numinis indignationem. Nihil est periculosius Principum obitu. Numquam magis nutat Respublica & stat in præcipiti, quam cum Dominis suis orbata spe tantum sustentatur venturi boni. In præsidijs igitur stet quisq; non gladio, non hasta, sed ijs quæ vos decent armis, probitate, continentia, lachrymis. Orate, ne quid majoris mali & patriæ vestræ, & huic Academix obueniat. Ita fiet, dubio procul, ut quod cum **IULIA** domo jam videtur extinctum, in proxima **AUGUSTA** genere reviviscat. P. P.
In Academ. Julia XVII. Augusti An,
cl. l. c. XXXIV.

V 17



innumeris gratiis et benedictionibus hanc
viam. hanc **X** innumera hanc sancta **X**
innumera illibata. **II** n. primus que tibi
vultus pro ecclesia tua sancta catholica
paucaque custodie. adiuvare. et regere
ris toto orbe terrarum. una cum familia tua
mon. Rege. nro **S** antistiteno nro **S** et omni
orthodoxis catholice et apostolice fidei
toribus. **M**emento dñe famulorum famu-
lorum tuarum. **S** et omnium circumstantium quorum
fides cognita est. et nota devotio pio que
tibi offerimus. et qui tibi offerunt hoc
sacramentum laudis pro se suis que omnibus pro re-
tione animarum suarum. pio spe salutis. et
incoluntatis sue tibi reddunt vota sua
eterno deo vivo et vero. **O**mnium





Farbkarte #13

B.I.G.



B PRÆMA-
M
Domini,
ICI
I
unæburgen-
entissimi,
lie
NTISSIMI
VTEM.

CII,
V.

